



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXVII. Etiam bruta animantia Deum suum & hominem
crucifixum Jesum agnoscant esse honorandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXVII.

Etiam bruta animantia DEum suum &
hominem crucifixum JEsum agnoscunt esse
honorandum.

Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: Et volatilia celi, & indicabunt tibi. Jo. 12. 7.

1.

A Sinus ille, cui insedebat Balaam, honoravit Angelum illum, qui exerto gladio ipsi minitatus est mortem: *Cumque vidisset Num. 22. 27.*
asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis &c. Asinus & bos honorabant Christum puerum ac Dominum suum in præsepio reclinatum, de quibus Isaías Propheta: *Cognovit bos Isa. 1. 3.*
possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Job invictum tolerantiae speculum mittit nos ad jumenta, volucres cœli & pisces maris, ut ab illis Dei bonitatem, sapientiam ac providentiam ediscamus: *Nimirum ob. 12. 7.*
interroga jumenta, & docebunt te: Et volatilia celi, & indicabunt tibi. Loquerere terra, & respondebit tibi: Et narrabunt pisces maris &c. Ego te hodie, Lector prudens, mitto ad plura jumenta, ad cœli aves, marisque pisces, qua docebunt te, & indicabunt tibi, quantum estimare, colere & amare debeas Christum JEsum & hunc crucifixum.

2. Leo fortissimus bestiarum amavit S. Gerasinum Abbatem, *Sophron. in Prato Spiti-*
qui huic Sancto per omnem vitæ decursum indefesso studio deservit, *tuali.*
ed quod ipsi spinam aliquam ex pede exulcerato exemerit, & vulnus
eius sanaverit; qui leo neque morientem suum benefactorem defec-
ruit, sed ei ex luctu commortuus est, illique suâ morte parentavit.

Plus fecit pro te, anime mi, Christus JEsus, & hic crucifixus,
quam S. Gerasius suo leoni, non enim unam, sed plures exemit à te
maledictionis spinas: Arderes sine dubio jam pridem in inferni rogo,
quem tuis meruisti criminibus; Et ecce ipse liberavit te, ipse mortuus
est

Ooo 3

Eccles. 29. 20. est pro te, ipse fidejussor factus est pro te; & quomodo poteris tantum
torum obliuisci beneficiorum? Audi Ecclesiasticum: *Gratiam fidjuf-
foris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam;* non enim eras sol-
vendo pro peccatorum tuorum debitibus, & ecce ille apud Patrem fide-
jussit, & in se omne debitum transcripsit, illudque solvit ac luit non
in ære, sed in corpore ac proprio sanguine, subeundo pro te infi-
mem ac atrocissimam crucis mortem. Væ tibi, si illum non
amaveris.

Exod. 13. 12. 3. Olim mandavit Deus, ut sibi non tam hominum, quam &
pecorum offerrentur primogenita: *Quod primitivum est in pecoribus tuis,
quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.* Quod autem concer-
nit primogenitum hominis, redimebatur pretio, quinque videlicet
siclis, prout patet Num. 18. 16. Voluit enim per hoc Deus refricare
Hebreis in memoriam redemptionem primogenitorum, dum ab
Angelo à morte in Ægypto liberati sunt. Et pergit Scriptura: *Pri-
mogenitum asini mutabis ove.* Et cur asinus hic peculiariter inter cetera
animalia exemptus fuit?

**Vincent. Bel-
luacens. 1. 18.
cap. 10.** 4. Vincentius Belluacensis, quia *crucem habet in anteriori dorso parte
super humeros,* nullum autem animal invenies, quod crucem super hu-
meros habeat uno excepto asino, ita & Paoletti cum aliis, quod in-
strumentum jam tunc in umbra erat victoria signum.

**Idem lib. 10.
cap. 29.** Historiam raram ab asino accipe. Cum S. Regulus Episcopus
Silvanectensis à Gallia rediret in patriam, in itinere à matrona qua-
dam, cui nomen Gallicia, rogatus est, quatenus filium suum à dæ-
mone obseffum & dirè cruciatum dignaretur liberare. Annuit S. An-
tistes, & orationem Dominicam ac Symbolum Apostolicum super
puerum recitat, & in forma visibili eiusdem vespertilionis dæmo-
nem expellit & abigit, qui vindictæ cupidus rectâ asinum S. Præfus
petit, & in eum molitur ingressum. Verum asinus in hoc prudentior
quam diabolus, ubi hunc Stygium vespertilionem circumvolitantem
conspicatus est, sine mora dextro pede signum S. Crucis in terra
formavit, quæ conspectâ diabolus sine mora in fugam actus est:
Nimirum interroga jumenta, & docebunt te &c. Fac & tu in tentationi-
bus tuis.

Job. 12. 7. 4. Cognovit & bos Possessorem suum non tantum ad præsepium, sed
etiam in cruce pendentem, audi rem non minori dignam admira-
tionem. In montibus vulgo del Monseni in Catalaunia S. Sigismundus
Burgundiæ Rex postea Martyr in quadam spelunca pro sua devotione
effigiem crucis erexerat, quæ post beatum obitum hujus S. Regis in
oblivionem devenit, & ab incolis sepulta fuit. Accidit, ut longo post
tempo-

**Bagatta de
Admirand,
Oibis Te. 2.
lib. 5. c. 1.**

tempore ad hunc locum quotidie bos de armento accurreret, qui semper genuflexus in eo loco infossam Dominicam crucem honorabat, & insolito mugitu demonstrabat latere hic quemdam spiritualem thesaurum majori reverentiā ac devotione ab hominibus colendum; quod prodigium ubi incolæ sèpiùs advertebant, ad Episcopum accesserunt, qui in hoc loco terram effodi, & speluncam à ruderibus purgari jussit, ubi in fundo prædictam sacram crucem invenit, quam cum solemnitate ad Ecclesiam, ut ibidem à fideli populo decentius coleretur, transferri curavit; sed quia eadem SS. Crux tertiā vice ad eandem pristinam speluncam reversa est, visum fuit, ut illic locorum in honorem crucifixi Domini insignis Ecclesia aedificaretur, in qua in hodiernum usque diem crucifixus Dominus magnâ populi cum frequentiā & devotione honoratur: *Interroga jumenta & docebunt te.*

5. Interroga & cervam Pollinganam, quantum honorarit crucifixum Dominum: Cùm enim Thassilo 2. Bavariae Dux anno reparate salutis 750. venationem parasset, ubi nunc celeberrimum cœnobium Pollinganum R. R. D. Canonicorum Regularium S. Augustini in superiori Bavaria consistit, subitò illa cerva, licet à canibus undique agitata, cursum stitit, & pedibus suis è terra in conspectu Principis & Aulicorum veruissimam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem, quatuor clavis ligno affixam, eruit, quæ Thaumaturga imago ibidem à tot centenis annis plurimis coruscans prodigiis ac beneficiis etiamnùm hodie religiosè asservatur, & à fidelibus piè colitur: *Interroga jumenta, & docebunt te,* quo honore sit colendus Crucifixus Dominus.

6. Similem eventum Caspar Sanctius etiam de cane commemo^{rat}. Sanctius in cap. 9. Ezech. qui in dioecesi Toletana in finibus Caracinarum ruptis vinculis, quibus à pastoribus adstrictus erat, sèpiùs à grege aufugit, & in agro ad Tagi ripam tam diu unguibus terram sodit, donec crucem ex auri-chalco inaurato invenerit, nunc plurimis coruscantibus beneficiis.

Anno Domini 1255. in Germania in monte Straßengel, prout refert Bonifacius Bagatta & alii, pecora, hoc est: *Boves & oves insuper & pecora campi* invenerunt antiquam Christi crucifixi imaginem super quandam abietem jacentem, & ab omnibus derelictam; ad hunc, inquam, locum cùm devenissent pecora, sèpiùs genibus flexis & diu insolito ac perseverante mugitu & balatu indicabant pastoribus, hic quarendum & inveniendum quemdam thesaurum, quem coleret & adoraret orbis. Quæstum diu fuit, & ecce tandem invenerunt Crucifixi Salvatoris nostri imaginem, quam honorificè elevarunt; in cajus honorem & templum magnificum construxerunt, ubi de facto à

piis

480 Consideratio CXXVII. Animalia agnoscunt crucifixum.
piis fidelibus singulari devotione colitur crucifixus JESUS: Nimirum
terrogajumenta, & docebunt te.

7. Et nunquid *Camelus* amat suum patronum, quia ipsum susten-
tat ac nutrit? Unde libenter ab eo onus & pondus suscipit portan-
dum, etiam flexis genibus ipsi se submittendo in terram. *Cerva* ama-
vit S. *Egidium* Abbatem regiâ stirpe oriundum, ad quem in eremo
statis horis venit, lac ei subministrando, quia eam à venato-
ribus in sua spelunca defendit. *Delphinus* dilexit suum Hermiam pue-
rum, à quo mulcebatur; & quia subinde illi benefecit puer, ideo
cùm obiisset fatis, & *Delphinus* præ dolore illi commortuus est.
Aquila propter educationis beneficium Virginem Sestonensem tenerè

3. Reg. 17. 6. amavit, dum seipsâ mortuâ in flammis parentavit. *Corvus* amavit
suum Eliam Prophetam & S. Paulum Eremitam, eos in eremo su-
stentando, & ad nutum illis obediendo. *Canis* Tobiae juniori in ini-
nere tam remoto pro viribus inservit; Item S. Rocho Confessori

tempore pestis ipsi quotidie panem subministrando. Et quid dico de
Lazaro ab omnibus deserto, mendico exulcerato, miserrimo? Quia
ab omnibus hominibus fuit derelictus, à canibus saltem aliquam opem
acceptit: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcerâ ejus.*

Tob. 6. L. Ma. 1. 6. En ostendo tibi in cruce, anime mihi, alium sed longè pauperio-
rem Lazarum, virum dolorum, despectum ac novissimum viro-
rum, de quo Propheta: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sa-*
nitas: Vulner & livor & plaga tumens. Canes cum Lazarus habebant ali-
quam commiserationem: *Et lingebant ulcerâ ejus: Et tu cum IESU*
crucifixo habebis nullam? O brutum! ô cautes! Accede proinde cum
omni fiducia ad SS. Vulnera ejus, & in eis invenies gratiam
ac vitam sempiternam.



CON-